

SECTIO IV<sup>a</sup>

## DE BONIS TEMPORALIBUS ECCLESIE

Bona temporalia Ecclesie sunt res corporales et jura quae acquisivit, ut inserviant cultui publico, clericorum educationi atque sustentationi, et pauperum sublevamini. Bona spiritualia, sacramenta nempe, officia divina, festorum celebratio vitam internam Ecclesie fovent et sacrum ministerium fecundant ad procurandum salutem animarum; bonis temporalibus sustentatur vita illius externa. Dicemus 1<sup>o</sup> de dominio bonorum temporalium ecclesiasticorum in genere; 2<sup>o</sup> de praecipuis speciebus bonorum; 3<sup>o</sup> de eorumdem bonorum regimine et alienatione.

ARTICULUS I. — DE ADEPTIONE ET DOMINIO BONORUM TEMPORALIUM ECCLESIE <sup>1</sup>.

\* 575. — 1<sup>o</sup> *Utrum et quo titulo Ecclesia sit capax dominii bonorum temporalium?*

Nonnulli veteres haeretici contenderunt Christum prohibuisse ne Ecclesia possideret bona temporalia. Illorum opiniones pro-

<sup>1</sup> Cf. Mammachi, *Del Diritto libero della chiesa di acquistare e di possedere beni temporali, si mobili, che stabili*. 5 vol. in-8, an. 1770. — Alfie, *Traité de la propriété des biens ecclésiastiques*. — D. Carrière, *Prælect. maj., de justitia et jure*, part. I, sect. I, cap. IV.

pagavit Wiclefus saeculo xv, qui in eum delirantis animi excessum devenit ut asseruerit *Papam cum omnibus clericis suis possessionem habentibus esse haereticos, eo quod possessionem habent, et consentientes ei, omnes videlicet dominos saeculares et caeteros laicos*. Non defuerunt, nec etiam hodieum desunt viri politici, qui alia ratione oppugnant jura Ecclesie, afirmando nullum jus dominii in bona temporalia ipsi competere posse, nisi ex concessione principis saecularis, cujus arbitrio facultas concessa acquirendi et possidendi revocari potest. Nonnulli inferunt bona ecclesiastica esse sub dominio reipublicae, tum quia princeps ea conditione concessit Ecclesie facultatem acquirendi ut sola possessione et jure administrandi frueretur; tum quia haec bona collata sunt Ecclesie in utilitatem publicam, ideoque sunt pars fortunae publicae, tum demum quia corpora moralia quibus haec bona tribuuntur, existere non possunt aliter quam vi legis, quae potest ea suppressere, ac consequenter de illorum bonis disponere. His ratiociniis probare voluerunt legitimam fuisse spoliationem Ecclesie, saeculo praeterito consummatam a conventu nationali. Quid sentiant viri catholici, dicetur in propositione sequenti.

PROPOSITIO. *Ecclesia est capax dominii rerum temporalium, jure naturali, divino, et civili.*

1<sup>o</sup> *Jure naturali*. Cum, ex omnium confesso, quisque privatus valeat acquirere bona quibus provideat suis necessitatibus et commodis, eodem jure potitur communitas hominum, persona moralis. Habet utique corpus morale facultates intellectuales, morales et physicas quibus haec bona sibi comparet, ea gerat, iisque in suum commodum utatur: necessitatibus obnoxium est, quibus aliter providere nequit; oportet enim communitatem suos ministros habere, conventus agere, media quibus suum finem prosequatur adhibere, quae cuncta non obtinentur sine impensis. Ergo, gubernium civile potest quidem invigilare ne formentur communitates moribus publicis et ordini societatis damnosae, atque regulas praescribere circa modum

quo acquirantur bona, sed non potest, nisi arbitrario abusu potestatis, obstare quominus communitas ad finem honestum formata, dominium acquirat. Ergo Ecclesia, quæ est societas omnium perfectissima, est jure naturali capax dominii.

Confirmatur consensione omnium populorum. Ne de Judæis dicamus quorum sacerdotes, Deo ita ordinantē, habebant in sua possessione urbes et suburbana per circuitum, ac præterea decimas ab aliis tribubus recipiebant, neminem latet fana deorum et collegia sacerdotum apud Ægyptios, Persas, Chaldæos, Gallos, Græcos, Romanos, et alias gentes, multa dominia habuisse, quem morem adhuc tenent gentes infideles. Unanimis illa consensio populorum probat communitatem ad cultum publicum constitutam, Ecclesiam scilicet, sicuti alias communitates et municipia ad finem civilem erecta, posse jure naturali acquirere dominia rerum temporalium.

II<sup>o</sup> *Jure divino* Ecclesia eadem facultate donatur, quod triplici argumento demonstratur, scilicet ex origine divina Ecclesiæ, ex illius praxi constantissima, et ex definitione doctrinali.

1. Quidem *ex divina ordinatione*. Est sub eo respectu discrimen essentielle Ecclesiam inter et cæteras communitates quibus constituuntur corporalia moralia in societate. Auctoritas publica dat communitatibus quas probaverit existentiam civilem; jus etiam habet easdem communitates extinguendi, si periculose evaserint; nullum denique collegium jure existit, nisi ex assensu supremi legislatoris, alias reputatur illicitum. Dissimilis est autem conditio Ecclesiæ quæ, cum divinitus fuerit constituta societas externa cum cultu publico, obtinuit immediate a Christo Domino jus acquirendi bona temporalia ipsi ad cultum publicum, necnon ad ministrorum cultus divini honestam sustentationem, necessaria.

2<sup>o</sup> *Ex praxi constantissima*. Ecclesia suo jure usa est ad acquirendum non solum bona mobilia, sed et sacras ædes, aliaque immobilia, a primæva ætate, ipso tempore quo Religio christiana legibus romanis proscribatur. Id pluribus monu-

mentis historicis probare possemus. Memorasse satis sit constitutiones imperiales quibus Constantinus Magnus et Licinius statuerunt loca ad quæ christiani convenire consueverant et quæ a fisco vendita aut donata fuerant, christianis restituerentur. « Et quoniam, aiunt imperatores ad proconsulem rescribendo, iidem christiani non ea tantum loca, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis ipsorum, id est Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia quæ lege superius comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem, iidem christianis, id est corpori et conventiculis eorum reddi jubebis...; quandoquidem volumus ut quæ supradictæ Ecclesiæ antea possederunt ad earundem jus omnino revertantur... Ergo operam dabis ut sive horti, sive ædes, seu quodcumque aliud ad jus earundem Ecclesiarum pertinerit, cuncta illis quantocius restituantur<sup>1</sup>. »

Certo inde deducitur Ecclesiam, a tempore Apostolorum ad tempora Constantini, firma fide persuasum habuisse sibi jus datum a Christo acquirendi dominia rerum temporalium, siquidem ea re ipsa acquisivit ac possedit tunc temporis quando id ipsi vetitum est lege Ethnicorum, quorum dominatu omnia tenebantur. Nemo inter catholicos dicet quod hac in re, sicuti in aliis quæ ad divinum institutum referuntur, ordinationem Christi non recte interpretata sit Ecclesia.

3<sup>o</sup> *Definitionibus et canonibus disciplinaribus Ecclesiæ*. Concilium Constantiense proscripsit propositiones erroneas Wiclefi; et Martinus V, confirmando decreta ea de re edita, statuit insuper ut quilibet de his erroribus suspectus interrogaretur « utrum credat quod auferentes, tollentes, et invadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi puniendi. » Concilium Lugdunense II, an. 1274 habitum, canone XII, et concilium Tridentinum, sess. xxii, cap. xi, *De Reform.*, generali consti-

<sup>1</sup> Eusebius, *Hist. eccl.*, lib. X, cap. v. — *De Vita Constantini*, lib. II, cap. xxiii, xxxix.

tutione sanxerunt universos et singulos, quacumque dignitate, etiam *imperiali et regali*, præfulgeant, qui bona alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii « *quacumque arte*, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumserint, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur, anathemati subjacere tamdiu quamdiu bona, res, jura, fructus et redditus quos occupaverint, integre restituerint Ecclesiæ. »

III<sup>o</sup> *Jure publico et civili* Galliarum firmatur, quoad forum civile, capacitas domini quam asserimus Ecclesiæ. Jure quidem publico stipulatur in concordato inito inter Sanctam Sedem et gubernium Galliæ; articulus enim xv hujus conventionis fert: « Gubernium curabit ut catholicis liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis foundationibus. » Lex 2 januarii 1817 lata statuit: « 1<sup>o</sup> Tout établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra accepter, avec l'autorisation du roi, tous les biens meubles, immeubles ou rentes, qui lui seront donnés par actes entre-vifs, ou par acte de dernière volonté. 2<sup>o</sup> Tout établissement ecclésiastique reconnu par la loi, pourra également, avec l'autorisation du roi, acquérir des biens immeubles ou des rentes. 3<sup>o</sup> Les immeubles ou rentes appartenant à un établissement ecclésiastique seront possédés à perpétuité par ledit établissement et seront inaliénables, à moins que l'aliénation en soit autorisée par le roi. »

574. — Hinc concludimus 1<sup>o</sup> Ecclesiam jus insitum habere, divina Christi ordinatione, acquirendi bona temporalia, seu mobilia seu immobilia, quo jure privari non potest; quidquid enim homines enituntur contra constitutionem divinam Ecclesiæ, irritum est.

Concludimus 2<sup>o</sup> Ecclesiam eo jure uti posse, non solum ut provideatur institutis quæ ipsi necessaria sunt, sedi episcopali, capitulo Ecclesiæ cathedralis, ecclesiis parochialibus, seminariis; sed etiam institutis aliis publicis quorum existentiam utilem judicat in ordine spirituali, ut sint communitates reli-

giosæ. Judex ipsa est convenientiæ et utilitatis horum institutorum. (N<sup>o</sup> 428.)

Concludimus 3<sup>o</sup> bona temporalia Ecclesiæ legitime acquisita ipsius propria esse, adeo ut potestas sæcularis nullatenus valeat ea sibi vindicare, nec de istis pro arbitrio disponere, non secus ac de bonis privatorum.

Respuimus igitur tanquam falsas, atque Ecclesiæ injurias, opiniones juristarum qui res Ecclesiæ inter bona nationalia reponere præsumserunt. — Necessarium tamen est in praxi, vel ut duæ auctoritates, spiritualis et sæcularis, concordati animo componant quæ ad hanc materiam spectant; vel ut instituta ecclesiastica observent leges civiles locorum, quibus indicitur singulis modus acquisitionis et transmissionis bonorum. (N<sup>o</sup> 506.)

\*575. — II<sup>o</sup> *Ad quem pertineant dominium et dispensatio bonorum ecclesiasticorum?*

Nonnulli canonistæ dixerunt bona ecclesiastica esse in Dei solius dominio, quia sunt res Deo sacræ, in quas nemo, nec communitas, nec quisvis privatus, jus proprietatis prætereundum potest. Hæc sententia est quidem vera, si ita intelligatur ut bona ecclesiastica debeant, ob finem cui destinata fuere, referri ad honorem et cultum Dei, nec possint, exceptis casibus jure probatis, impendi in usus profanos; destinatio autem bonorum non impedit quominus constituantur sub humano alicujus dominio, qui valeat illis uti, ac de illis disponere, si necessitas postulaverit, servatis legum præscriptionibus. Ut inquiratur quis habeat hujusmodi dominium, expendere sufficit quis in Ecclesia idoneus sit ad acquirendum, et de facto rem sibi acquisierit titulo legitimo; dominium enim duplici fundamento innititur, jure acquirendi et facto acquisitionis legitime.

I. Dominium proprie dictum bonorum ecclesiasticorum pertinet ad Ecclesias, seu ad communitates canonicè erectas, quibus titulo proprietatis acquisita fuerunt. « Communis est sententia, ait Schmalzgrueber, quod dominium particulare bonorum ecclesiasticorum sit penes ipsas Ecclesias, sive collegia et

« capitula clericorum; aut ubi talia non sunt, penes communitatem fidelium ad Ecclesiam spectantium, si Ecclesia sit « sæcularis; si vero regularis, penes ipsa monasteria, seu conventus et communitates religiosorum, si illa sint domini « capacia. » (In tit. DE PECULIO CLERICORUM, n° 4, lib. III Decret.)

Ecclesia Romana multas olim possessiones habuit quæ ipsi datæ fuerant ex diversis regionibus, ut constitueretur patrimonium sancti Petri; diœcesis, sedes episcopalis, Ecclesia cathedralis, capitulum, seminaria, Ecclesiæ parochiales, monasteria et alii conventus regularium, confraternitates, et cætera instituta ecclesiastica vel religiosa, quando rite erecta fuerint servatis legibus canonicis, sunt capacia domini; quamobrem si bonum temporale, quovis titulo ad transferendum dominium apto, acquisierint, res ipsis propria est, sub illorum utique jure et dominio constituta.

Supponimus Ecclesias et cæteras communitates fuisse *rite erectas*; quia in societate religiosa, non secus ac in societate temporali, nulla communitas subsistit cum jure acquirendi et possidendi, nisi constituta et approbata fuerit auctoritate superiori competente. Quamdiu deest canonica constitutio, dari potest persona moralis civilis, vel persona individua, capax domini, sed bonum temporale ab illa acquisitum non reputatur bonum ecclesiasticum, nec habet privilegia bonis ecclesiasticis jure canonico annexa... Supponimus insuper Ecclesiam et communitatem rem acquisivisse *proprio nomine, ut in suos usus adhibeatur*, quod est signum proprietatis. Nihil obstat ex eo quod intercedere debeat assensus superioris ut fiat acquisitio, nec si communitas bona semel acquisita alienare non valeat inconsulto eodem superiore. Hæc necessitas probat communitatem obnoxiam esse auctoritati superioris et quodammodo sub tutela, eadem fere ratione ac in ordine civili minor, nec acquirere, nec alienare potest absque assensu tutoris; sed nullatenus obstat quin communitas obtineat dominium proprie dictum.

Quando communitas ecclesiastica, diœcesis, parochia, etc. bonum temporale assequitur donatione vel fundatione, attendere debet ad intentionem manifestatam donatoris; an rem dederit ut ad finem specialem, in actu donationis expressum, inserviat; an in usus communes arbitrio Episcopi, parochi, alteriusve rectoris, determinandos. Si bona destinaverit alicui instituto in specie, v. g. confraternitati, seminario majori, seminario minori, exercitiis missionum evangelicarum..., nec parochus, nec ipse Episcopus potest aliud institutum substituere in hujus locum quod donator designaverit, etiamsi ipsi videatur hanc substitutionem magis expedire; nam pactis standum est. Statuere de re donata contra mentem benefactoris, eam impendere in usus alienos a fine præfinito, est jure naturali non solum illicitum sed invalidum.

II. S. Pontifex habet in bona ecclesiastica jus supremæ dispensationis, vi cujus potest, non arbitraria quidem voluntate, sed ita exigente necessitate Ecclesiarum, ea transferre, alienare, vel etiam laicis cedere. S. Thomas in eo sensu dixit res omnes ecclesiasticas esse S. Pontificis, non ut domini et possessoris, sed *ut principalis dispensatoris*. 1° Fideles, dum aliquid dant Ecclesiis, vel monasteriis, non ea donant S. Pontifici; præstuntur tamen consentire ut, si urgens necessitas postulaverit, S. Pontifex valeat de his bonis statuere; alias acceptari non posset donatio, ita enim rem componi postulant regimen Ecclesiæ, suprema potestas inhærens Sanctæ Sedi, necessitas avertendi pericula quæ alioquin, in quibusdam casibus, religioni imminerent. 2° SS. Pontifices hoc jure identidem uti sunt, licet cum summo moderamine. Cesserunt, ita postulante temporum necessitate, partes aliquas bonorum Ecclesiæ Romanæ. Transtulerunt bona ab uno instituto regulari quod, jure seu facto, extinctum fuerat, ad aliud; v. g. quando suppressa est religio Templariorum: suppresserunt, ad mentem concilii Tridentini, nonnulla beneficia simplicia ad providendum erectioni seminariorum et parochiarum. Bona ecclesiastica

injuste occupata, et invalide alienata a laicis, cesserunt quandoque pro bono pacis, ut facilius restituerent Ecclesias tempestatibus politicis collapsas, quod factum fuisse recenti ætate omnes norunt. Hoc autem, quin fieri legitime potuerit, nemo inter catholicos dubitabit<sup>1</sup>.

\*576.—III<sup>o</sup> *Quomodo acquiratur dominium bonorum ecclesiasticorum?*

I. Ecclesiæ acquirunt bona iisdem prorsus mediis et titulis quibus privati et communitates civiles in societate sæculari; scilicet labore, donationibus et contractibus onerosis, adeo ut nullus sit propriarius, nullave communitas, quæ res suas sibi meliori jure asserere valeat. Hæc maxime attendenda sunt, ut judicetur de inanitate sophismatum queis nonnulli enixi sunt comprobare agendi rationem Conventus Nationalis, qui Ecclesias bonis temporalibus spoliavit. Si semel admittatur licitum fore gubernio sæculari jus Ecclesiarum labefactare, non est cur possessiones communitatum civilium, et ipsorum privatorum tutas putemus; cum enim non alio fundamento reponantur, iisdem etiam principiis, seu rectius ut dicamus, iisdem captionibus fas erit jura uniuscujusque pro arbitrio invadere, nihilque stabile relinquatur in societate.

577. — II. Lex civilis hæc statuit, ex veteribus edictis regis deprompta<sup>2</sup>, ut communitas acquirere valeat :

1<sup>o</sup> Necessè est ut communitas fuerit agnita approbataque a gubernio. Gubernium approbavit instituta diœcesana, nempe titulos episcopales, capitula, fabricas Ecclesiarum cathedralium et seminaria; instituta parochialia, scilicet fabricas Ecclesiarum parochialium, capellas annexas rite erectas, presbyteria; demum nonnullas communitates religiosas, præsertim quæ hospitiorum curæ, pauperum sublevamini, puerorum educationi destinantur.

<sup>1</sup> Cf. Litteras apostolicas Benedicti XIV ad Episcopos directas, *Cum encyclicis* litteras, an. 1754, n<sup>o</sup> 3, 4, 5.

<sup>2</sup> Edict. Ludovici XIV, an. 1666; Ludovici XV, 1749.

2<sup>o</sup> Necessè est ut donatio, seu quævis alia acquisitio titulo oneroso, approbetur, quod de immobilibus, de censibus annuis et de ipsis bonis mobilibus intelligendum est, saltem si non donentur de manu ad manum. Edictum regium 2 aprilis 1817 fert : « Les dispositions entre-vifs ou par testament de biens « meubles et immeubles, au profit des églises, des archevêchés « et évêchés, des chapitres, des grands et petits séminaires, « des cures et des succursales, des fabriques, des pauvres, des « hospices, et en général de tout établissement d'utilité publique « et de toute association religieuse reconnus par la loi, ne « pourront être acceptées qu'après avoir été autorisées par Nous, « le conseil d'État entendu, et sur l'avis préalable de nos préfets « et des évêques, suivant les divers cas.

« L'acceptation des dons ou legs en argent ou objets mobiliers n'excédant pas trois cents francs sera autorisée par les « préfets.

Decretum 13 febr. 1862 fert : « Art. 1. L'acceptation des « dons et legs fait aux fabriques des églises sera désormais autorisée par les préfets sur l'avis préalable des évêques, quand « ces libéralités n'excéderont pas la valeur de mille francs, ne « donneront lieu à aucune réclamation, et ne seront grevées « d'autres charges que de l'acquit de fondations pieuses dans « les églises paroissiales, et de dispositions au profit des communes, des hospices, ou des bureaux de bienfaisance. « Art. 11. L'autorisation ne sera accordée qu'après l'approbation « de l'Évêque diocésain, s'il y a charge de services religieux. »

Leges civiles requirunt approbationem, ne nimium accrescant bona temporalia communitatum quæ Gallice nuncupantur *établissements de mainmorte*, id est, quæ alienare non possunt; hæc enim coacervatio bonorum quæ subducuntur commercio visa est minus expedire bono communi. Consulere præterea studuerunt commodis familiarum, ne hæredes naturales priventur bonis suorum cognatorum, ultra quod exposcit æquitas.

Donationes manuales non subjacent iisdem legibus: possunt utique acceptari quin necesse sit recurrere ad gubernium civile. Regula generalis est, principiis juris communis et doctrina jurisperitorum innixa, traditionem realem boni mobilis, præsertim pecuniæ, dominium rei transferre in recipientem, et possessionem loco tituli esse, ut statuit art. 2279 Codicis civilis. Decretum an. 1809 de fabricarum constitutione eandem regulam implicite sanxit in gratiam Ecclesiarum, nedum legi communi derogaverit; siquidem inter redditus fabricarum enumerat *oblaciones*: porro *oblaciones* sunt donationes manuales, nec ullum discrimen assignatur inter *oblaciones*, ratione quantitatis summæ donatæ. Ergo donatio manualis, qualiscumque sit, acceptari potest absque prævia approbatione gubernii. Si tamen donatio sit valde notabilis, ratione habita fortunæ donatoris, et videatur facta ut partes subterfugiant interventum auctoritatis publicæ, gubernium sibi reservat facultatem eam rescindendi, aut ad certum modum imminuendi <sup>1</sup>.

5º Ut detur expetita approbatio, exponi debet gubernio status rerum, cum petitione facta ab administris instituti cujus interest. Si agatur de acquisitione titulo oneroso, transmittendæ sunt tabulæ in quibus declarantur natura, situs et valor objecti, bona eidem instituto jam ante acquisita, media quæ illi suppetunt solvendi pretium rei acquirendæ. Si agatur de acquisitione titulo gratuito, servantur formalitates communes præscriptæ pro donationibus et testamentis; insuper, quod ad testamenta attinet, advocantur propinquiores hæredes defuncti, ut assentiantur legato aut declarent cur assensum suum denegaverint. Non necessum est ut re ipsa assentiantur, sed illos audiendos voluit princeps sæcularis, ut perpendatur an hæredes grave detrimentum patiantur ex dispositione testamentaria defuncti; an intercesserit fraus aliqua seu captatio; an bona derelicta proveniant ex paterna hæreditate aut aliunde; an testator perspectum habuerit statum suorum parentum.

<sup>1</sup> Cf. Gandry, *Traité de la législation des cultes*, t. III, n° 864, 865.

Insuper, ubi de donationibus seu testamentis agitur, ratio habetur onerum a donatore injunctorum, et finis proximi ad quem bona donata sunt, utrum oneribus non gravetur communitas ultra quod expedit; an valeat pactis conditionibusque satisfacere; utrum finis a donatore intentus, onera quæ imposuit, pia opera quæ exsequenda mandavit, consentiant cum natura, conditione atque fine instituti. V. g., fabrica Ecclesiæ parochialis constituta est solummodo ad gerenda negotia temporalia cultus publici; quocirca non potest acceptare donationes destinatas ad fundationem et regimen scholarum et xenodochiorum, ita saltem quod ipsa scholas aut hospitalia instituat et administret. Si fundatio hujusmodi facta sit, gubernium tantummodo concedet, ne defraudetur pia intentio donatorum, ut fabrica acceptet ac, vices agens executoris testamentarii, transferat bona data ad communitatem civilem, cui munus incumbat exsequendi intentiones in testamento expressas <sup>1</sup>.

Expositur assensus Episcopi quoties imposita sunt onera communitatibus ecclesiasticis, et ejusdem sententia, si nulla onera injuncta sint; Episcopi siquidem est perpendere an expediat fundationes acceptari.

His cunctis habitis, auctoritas sæcularis statuit: testamentum confirmat atque exsequi mandat; aut e contra denegat approbationem, vel donationes imminuit, relicta parte hæredibus, prout sibi visum fuerit.

Hæc retulimus, sed non indistincte probamus; multa enim videntur adversa libertati Ecclesiarum.

#### ART. II. — DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

578. — Actum est, in præcedentibus, de sacris ædibus, de illarum suppellectili et de cœmeteriis. Alia bona ecclesiastica

<sup>1</sup> *Journal des fabriques*, t. VII, pag. 500. *Décision du Conseil d'État*, an. 1841.